

setur probata: possessio ita probat text. notabili in leg. Qui universas. §. Quod per colonum. ff. de Acquir. posses. & ibi notant Bart. Alber. Paul. Imol. & communiter DD. textus in cap. Cum venisset, de Restit. spoliat. ibi: Perceperunt annuam pensionem, & ad hoc notat ibi Glossa ordinaria 2. author. Abb. Card. Anchar. & communiter DD. De quo articulo vide latius quæ dixi supra ista leg. In 5. actu fidei. possessionis. Ex quibus sume practicam in formando articulos in probatione possessionis; nam debet articulare quod quis habet, tenet, & possidet talem fundum vel rem, cum arando, seminando, fructus colligendo, mercedes percipiendo, vel alia denique faciendo, & re illa utendo tamquam dominus possessor: & istam practicam & doctrinam ponunt Angel. Paul. de Castr. & communiter DD. in dict. leg. Titia. ff. de Solut.

194 Postremò etiam & finaliter pro complemento materiæ quæro, an in causa & iudicio possessionis admittatur appellatio? Et in hoc articulo breviter & resolutivè teneo, quod modò actum sit iudicio & remedio possessorio adipiscendæ, modò retinendæ, modò recuperandæ, victus per sententiam non potest appellare: textus est expressus in generalitate sua in leg. unica. Cod. Si de moment. posses. fuer. appellat. cuius verba sunt, cum de possessione & ejus momento causa dicatur. Et si appellatio interposita fuerit, tamen lata sententia sortiatur effectum, & ad hoc notat Glossa ordinaria, Azor. notat summarium Bartol. Bald. Salycet. illius tituli. & communiter DD. probat etiam textus in leg. Quisque Cod. Quor. appellat. non recip. text. in leg. Momentaneæ. Cod. Unde vi, & istam conclusionem tenet magistraliter Bartol. in leg. 2. column. 2. ff. de Appellat. recup. Angel. in leg. Creditor. §. Jussus. ff. de Appellat. & ibi notat Imol. fin. column. Cin. & communiter DD. in leg. 1. Cod. de Bonor. posses. secundum tabul. Speculat. in tit. de Appellat. §. In quibus. 3. column. versic. 6. non appellatur. Cujus ratio est: quia talis sententia parit modicum præjudicium, cum de facili potest reparari in iudicio proprietatis: & ex ista ratione causa possessionis vocatur momentanea: ita Glossa ordinaria in dict. leg. unic. in glossa 2. in fin. Bart. Cin. Jacob. Butr. Alb. & communiter DD. Bald. in leg. 2. ff. de Appellat. recup. 2. column. Bald. in cap. 1. de Caup. & prop. 1. column. post princip.

Quod tamen notabiliter limita & intellige sequentibus modis: Primò quando tale iudicium est merè possessorium: secus si iudicium possessorium contineat admixtam causam proprietatis, ut quia agatur conditione ex leg. Si quis in tantam. Cod. Unde vi, quia tunc benè habet locum appellatio: ita tenet Glossa in dict. leg.

unic. in glossa 2. & ibi Butr. Cin. Bartol. Alber. & communiter DD. Secundò limita & intellige, præterquam si in tali iudicio possessorio quis est victus vel condemnatus in interesse, vel in fructibus: quia ab ista condemnatione poterit appellare, quia istud gravamen non est reparabile in iudicio proprietatis, argumento prædictorum jurium ut ratione, & argumento regulæ textus in leg. Et in majoribus. Cod. de Appellat. & in expressò ita determinat Bald. in dict. leg. unic. pen. column. num. 9. & ibi Salyc. fin. column. & quæst. Tertio limita & intellige, præterquam si ante sententiam quis sentiat gravamen quod in definitivo non possit reparari, ut si iudex nolit recipere testes, vel nolit concedere terminum probationis, vel recipiat testes inhabiles; quia tunc poterit appellare: ita originaliter Guillel. in leg. Si ex causa. §. Nunc videndum. ff. de Minor. tenet etiam reputabile Bald. in leg. Post sententiam. Cod. de Sent. & interlocut. omn. judic. 2. column. num. 8. Angel. in leg. Creditor. §. Jussus. ff. de Appel. in princ. & ibi notat Imol. fin. column. Quarto limita & intellige, quando sententia valet & tenet: secus autem si sit nulla: quia tunc benè poterit victus agere de nullitate: ita probat textus in clem. 1. de Re jud. & tenet Bald. in dict. leg. unic. penult. column. num. 12. Salyc. 5. column. num. 11. idem Bald. in leg. unic. Cod. Ne liceat in una ead. causa ter. prov. 2. column. in 2. notab. Jas. in lege 1. ff. de Just. & jur. 4. column. num. 6. idem Jas. in leg. 1. Cod. de Bon. pos. secundum tabul. fin. column. in med. Philipp. Dec. ibi, 2. column. in fin. Quintò limita, præterquam si iudex admiserit appellationem; quia tunc valet & tenet appellatio, & causa debet suum finem habere: ita notat Bald. in leg. Post sententiam. Cod. de Sent. & interl. omn. jud. column. num. 7. quod dictum sequitur & reputat singulare Jas. in leg. Patre furioso. ff. de His qui sunt sui, vel alien. jur. 3. column. num. 11. idem Jas. leg. 1. Cod. de Bon. posses. secundum tab. fin. column. num. 5. Confirmatur ex his quæ posui in repetitione lege 1. Publ. de jud. Sextò limita & intellige, ut procedat de jure civili: secus tamen est de jure canonico; quia benè habet locum appellatio in iudicio merè possessorio: ita probat textus in cap. Significaverunt, de Testib. & ibi notat Innoc. & communiter DD. text. in cap. Cum ad sedem, de Restit. spol. & ibi notat & tenet Glossa magna in fin. & ibi plenè & notabiliter Abb. penultim. column. num. 3. post Antiquos, ubi dicit hanc esse communem opinionem; textus in cap. Ex quo eodem tituli. & ibi communiter DD. text. in clem. 1. de Sequest. pos. & fruct. & ibi DD. text. in clem. 1. de Caupon. & prop. & ibi Scribentès: tenet etiam Glossa ordinaria in cap. Ei qui

qui appellat. §. de Possessione, 2. quæst. 6. & ibi Archid. & communiter DD. Specul. in tit. de Appellat. §. In quibus, 3. column. vers. Sextò non appellatus, & ibi Joan. Andr. Bald. in dict. leg. unic. pen. col. in princ. & ibi Salyc. penultim. col. num. 6. qui dicit, hanc esse communem opinionem. Hodiè tamen de jure regio eligitur media via: quia omninò non prohibetur appellatio, ut de jure civili; nec omninò & distinctè admittitur, ut de jure Canonico; sed disponitur, quòd si lata fuerint duæ sententiæ conformes, non habet locum appellatio; aliàs verò sic: ita disponit l. 28. in ll. de Madrid, & pragmatica 31. lib. Pragmat. fol. 40.

TEXT. XLVI.

TODAS las fortalezas que de aqui adelante se hicieren en las Ciudades, Villas, y Lugares, y heredamientos de Mayorazgo; y todas las cercas de las dichas Ciudades, Villas, y Lugares de Mayorazgo, asi las que de aqui adelante se hicieren de nuevo, como lo que se reparare, ò mejorarè en ellas; y asimismo los Edificios que de aqui adelante se hicieren en las casas de Mayorazgo, labrando, è reparando, ò reedificando en ellas; sean asi de Mayorazgo, como lo son ò fueren las Ciudades, Villas, ò Lugares, y heredamientos, y casas donde se labraren. Y mandamos, que en todo ello succeda el que fuere llamado al Mayorazgo, con los vinculos, y condiciones en el Mayorazgo contenidas, sin que sea obligado à dar parte alguna de la estimacion, ò valor de los dichos Edificios à las mugeres del que los hizo, ni à sus hijos, ni à sus herederos, ni sucesores: pero por esto no es nuestra intencion de dar licencia, ni facultad para que sin nuestra licencia, ò de los Reyes que de nos vinieren, se puedan hacer, ò reparar las dichas cercas, y fortalezas: mas que sobre esto se guarden las leyes de nuestros Reynos como en ellas se contiene.

Id est: Arces omnes quæ deinceps edificabuntur in Urbibus, Oppidis, aut Locis, vel hereditatibus Majoratus; ac mania omnia prædictarum Urbium, Oppidorum, & Locorum Majoratus, tam ea quæ de novo edificabuntur in posterum, quam quod in illis reficietur aut melius reddetur; atque etiam Edificia quæ deinceps construuntur in domibus Majoratus, reficiendo, instaurando, aut reedificando in eis; sint etiam Majoratus, quemadmodum sunt aut erunt ipsæ Urbes, Oppida, Loci, & hereditates ac domus in quibus sunt fabrica-

ta. Et præcipimus ut in omne illud succedat quod ad Majoratum fuerit vocatus, cum Vinculis, & conditionibus in Majoratu contentis, nec sit obligatus ad solvendum aliquam partem estimationis aut valoris prædictorum Edificiorum uxoribus illius qui ea edificaverit, aut liberis suis, aut hæredibus, aut successoribus: verùm per hoc non est mens nostra permittere licentiam aut facultatem, ut, absque nostra licentia, aut Regnum à nobis descendendum, possint edificari aut refici prædicta mania & arces: sed ut super hoc serventur leges nostrorum Regnorum juxta earum præscriptum.

COMMENTARIUM

In Legem XLVI.

SUMMARIUM.

- 1 An successor majoratus teneatur solvere expensas factas in re majoratus?
- 1 An bonæ fidei possessor recuperet sumptus & expensas factas in re aliena?
- 3 An fideicommissarius qui facit sumptum in re subjecta restitutioni, possit tales sumptus recuperare?
- 4 An ista l. sit justa & juridica?
- 5 An possit quis in sua propria re facere edificium? & in num. 14.
- 6 An & quando possit quis in sua re edificare ad libitum voluntatis?
- 7 Intellectus ad text. in leg. fin. §. fin. vers. Sancimus, Cod. de Servit. & aqua.
- 8 Si ille qui edificat, edificat principaliter ad damnum vicini, an possit destrui tale opus?
- 9 An in casu quo edificium noceat Ecclesie, an possit dominus edificii compelli vendere servitutem altius non tollendi?
- 10 An & quando possit quis facere molendinum in fluvio?
- 11 An civitas possit præstare licentiam faciendi molendinum in flumine?
- 12 Si quis habet molendinum in flumine, an possit alius facere aliud molendinum in eodem flumine?
- 13 An possit quis facere pontem super viam publicam?
- 14 An possit quis facere castrum vel fortalium?
- 15 An possit quis reficere castrum vel fortalium?
- 16 Verus intellectus ad istam l. 26.
- 17 Si sunt edificia publica, & egeant reficiendo, an compellantur vicini de populo talia edificia reficere?
- 18 An & quando teneatur officialis de vitio operis?

- 19 An possit aliquis edificare in suo proprio solo, quando ex edificio est in domo alterius aliquid immissum?
- 20 An & quando locum habeat novi operis nuntiatio?
- 21 Si quis edificat in re mea palam, & opus est jam perfectum, quod remedium habeam?
- 22 Remedium quod vi aut clam, in quo differat à remedio novi operis nuntiationis?
- 23 Quae personae possint nuntiare novum opus?
- 24 Ille qui habet servitutem, an possit nuntiare?
- 25 Ususfructuarius an possit nuntiare?
- 26 Minor an possit nuntiare?
- 27 Quando amicus vel extraneus possit nuntiare?
- 28 Quibus personis fiat nuntiatio?
- 29 Si denuntiatio sit facta officialibus, an destruat opus, modo nuntiatio veniat in notitiam domini, modo non?
- 30 Pro quibus rebus fiat nuntiatio?
- 31 Quibus modis fiat nuntiatio?
- 32 Quae sit differentia inter denuntiationem quae fit solo verbo, vel per alios modos denuntiandi?
- 33 Quis sit effectus denuntiationis?
- 34 Post factam denuntiationem, per quod tempus supersedeat opus?
- 35 Si post lapsum termini in quo debet superedere opus, appareat nuntiantem non habuisse jus, an nuntians teneatur ad damnum?
- 36 An sit remedium aliquod, per quod possit nuntiatum edificare statim post denuntiationem, non elapso tempore, de quo in leg. 1. C. de Novi operis?

- 37 Qualiter constabit nuntiantem non habere jus nuntiantem?
- 38 Si nuntiator in denuntiatione expressit causam impertinentem, & postea in prosecutione vult proponere alias causas justas, an possit?
- 39 Facultas denuntiandi per quod tempus duret?
- 40 Interdictum demolitorium competens ad hoc ut edificium post denuntiationem factum destruat, transit ad heredes.
- 41 Interdictum de novi operis nuntiatione, & effectus ejus an transeat ad heredes?

Nota dispositionem hujus leg. ex qua nota & collige duo singularia: Primum est, quod si possessor majoratus fecit aedificia, vel sumptus etiam necessariò vel utiliter in rebus majoratus, non pertinet medietas eorum uxori, ratione lucrorum acquiritorum constante matrimonio. Secundum est, quod successor in majoratu non tenetur pretium vel aestimationem eorum solvere hæredibus defuncti possessoris. Et licet Doctor. Palat. Rub. in Repet. cap. Per vestras de Donat. inter vir. & uxora. fol. 38. 4. col. vers. Ex istis, & etiam in present. exclamet de illa lege, dicendo eam iniquam, & contrariam juri & æquitati, & quod spectat eam futuris temporibus revocandam; tamen ego habeo eam pro justissima, æqua, & singulari; quam intendo notabiliter confirmare. (k)

2 Pro cujus perfecta declaratione dico & præsuppono, quod bonæ fidei possessor recuperat sumptus & expensas necessarias factas in re aliena, sine quibus res esset petitura vel deterior

(k) Ita sentit Gomez Arias in leg. 40. num. 28. & in leg. 44. Taur. vers. Adverte, num. 47. & tenet sumptus vel aedificia facta in bonis majoratus tribus tantummodo casibus à nostra lege expressis non posse recuperari ab hæredibus prædecessoris, in hisque solum ejus decisionem vigere; scilicet, cum in moenibus, aut fortalitiis, aut in domo præcipua ipsius majoratus aedificia seu sumptus fiunt: in aliis autem casibus ea recuperare posse, dicens ita fuisse judicatum in supremo consilio: & Matienz. in leg. 6. tit. 7. lib. 5. Recopilat. gloss. 1. num. 1. & 2. & gloss. 3. num. 11. Burg. de Paz in quest. suis, quest. 7. n. 17. Alvar. Valasc. de Jur. emphyteut. quest. 25. num. 29. Pelaez, in tractat. Major. 4. part. quest. 33. num. 3. Burg. de Paz, Senior, cons. 3. num. 199. lib. 1. & in terminis nostræ legis Palac. Rub. sequitur Cassan. in Consuetudinibus Burg. rub. 4. §. 13. num. 6. verb. Adverte tamen, Covarrub. in 42. part. cap. 7. §. 1. num. 6. vers. 2. Ex his, & expressius Menchac. de Succes. creat. lib. 1. §. 1. num. 13. vers. Redendo, & idem etiam videtur tenere Burg. de Paz, cons. 3. num. 106. 1. part. dicentes omnes, duram esse hanc legem; & secundum hanc opinionem judicatum fuisse affirmat Joan. Garcia de Expensis & meliorationibus cap. 13. num. 45. sicque legem nostram correctam solum intelligendam in debito contractu ratione aedificii, ut successor majoratus id solvere non teneatur, ut inquit Didac. Perez in leg. fin. tit. 4. lib. 5. Ordinamenti, pag. 168. col. 2. Contrariam tamen sententiam, scilicet, legem nostram procedere in sumptibus seu aedificiis factis in aliis quibuscumque rebus majoratus mecum tenet Palac. Rub. hic, & Castell. Joan. Garc. ubi supra, dist. num. 45. dicens sic fuisse judicatum, cum Molin. lib. 1. de Primog. cap. 26. num. 25. & Pinell. in leg. 1. Cod. de Bonis mat. 2. numer. 65. hancque sententiam tamquam probabiliorem non semel in sententiis amplexam testatur Molin. dist. n. 25. qui latè eam defendit, & Aceved. in leg. 6. tit. 7. lib. 5. Recopil. num. 2. & vide Matienz. ibi gloss. 1. per totam, & Velazq. de Avend. hic gloss. 6. per totam.

rior extitura: text. est in leg. Domum, Cod. de Rei vind. ibi: Nisi necessarios sumptus fecerit, text. in leg. aded. §. Certe. ff. de Acq. re. domi. text. in leg. In area in fin. ff. de Conditione indebit. text. in leg. Paulus resp. ff. de Doli except. text. in leg. Plane. ff. de Petit. hæred. & utrobique communiter Doctor. & idem disponit lex 40. tit. 28. 3. part. Et adde, quod recuperat per viam retentionis, proposita exceptio doli; non verò actione, vel alio remedio: quia cum fecit bona fide tamquam in re propria, & non habuit animum alium obligandi, merito non potuit sibi querere actionem; sed recuperat tantum ex æquitate, jure retentionis. Ex quo deducitur & inferitur, quod re perempta, soluta, vel tradita, non possit aliquo jure vel remedio repetere. Quod iterum intellige in re petita judicio particulari rei vindicationis: secus tamen si judicio universali petitione hereditatis; quia illa re perempta vel non extante, posset aliam quamlibet rem retinere: ita probant jura superius adducta, & ibi tenent communiter DD. Quod etiam iterum intellige & declara, quando talis bonæ fidei possessor non collegit fructus ex re: secus tamen, si aliquos fructus collegit; quia tunc prorata tenetur compensare cum expensis & sumptibus factis in re: text. est singularis in jure in leg. Sumptus. ff. de Rei vindicatione & ibi Gloss. ordinaria Bart. Odofred. Alberic. Bald. & communiter DD. & probat. præd. leg. partit. Unum tamen est, quod dicebat eleganter Paul. de Cast. in dist. leg. In area in fin. ff. de Condit. indebit. quod isto casu, si ex errore vel ignorantia (quæ semper præsumitur) possessor non posuit prædictam exceptionem doli & retentionis, posset postea ex æquitate: text. in leg. Si & me & Titium. ff. Si certum petatur, & facit etiam quod ipse Paulus tenet in leg. fin. Cod. de Neg. gest. Sed salva ejus pace, ego teneo contrarium per prædicta jura, quæ excludunt omne remedium, & alias de nullo servirent: & prædicta lex Si & me & Titium procedit, quando nullum aliud datur remedium; & contrarium expressè tenent Cin. & Sa. lye. in leg. Si quis sciens, Cod. de Rei vind. Si vero bonæ fidei possessor fecit prædicta aedificia, sumptus, vel expensas utiles, & non necessarias, potest repetere his casibus: Primò, si dominus aliàs esset facturus: Secundò, si dominus statim esset rem venditurus: Tertio, si dominus erat dives, & sine detrimento potest solvere: Aliàs non potest repetere, sed tantum abradere sine detrimento prioris status, nisi dominus pretium offerat: text. est notabilis in leg. in fundo. ff. de Rei vindicatione, & ibi Bartol.

Odofred. Alberic. Bald. & communiter DD. & probat expressè prædicta lex Partit. Si verò bonæ fidei possessor fecit sumptus vel expensas merè voluntarias, nullo jure, remedio, vel actione potest consequi & repetere, sed tantum permittitur abrasio sine detrimento prioris status, nisi dominus pretium earum offerat & solvat: text. est in dist. leg. In fundo. ff. de Rei vind. text. in leg. Pro voluntariis. ff. de Impen. in re dot. fac. Si verò malæ fidei possessor fecit sumptus vel expensas necessarias, similiter recuperat, licet non modo & remedio prædictò, sed per officium judicis: cujus ratio est; quia si non fecisset, teneretur ex deterioratione rei, argumento text. in leg. Ei qui, §. fin. ff. de Pet. hæred. utiles verò non recuperat, sed permittitur abrasio: voluntarias verò nullo modo recuperat, nec permittitur abrasio: ita probat text. in dist. leg. Domum, Cod. de Rei vindicatione. text. in dist. leg. Fundo. ff. eod. & ibi Bart. & communiter DD. & ita etiam probat, & determinat, lex 44. tit. 28. 3. part. Quæ omnia procedunt & habent locum, quando quis est nudus & simplex possessor sine titulo & dominio: secus tamen est quando quis habet titulum in re, & est dominus ejus, licet habeat rem subjectam restitutioni, ut maritus in re dotali, vel hæres gravatus post mortem vel tempus rem alteri restituere; quia tunc necessarios sumptus & expensas recuperat, nedum per viam retentionis, sed etiam per viam actionis negotiorum gestorum: text. est in l. Divortio. §. Impendia, vers. Planè. ff. Solut. matrim. cujus verba sunt, planè si novam villam necessario extruxerit, vel veterem totam sine culpa sua collapsam restituerit, ejus impensæ erit petitio. & ibi Gloss. ordinaria & communiter DD. text. in leg. Quia dicitur, la. 1. & in leg. Quod dicitur, tenet in leg. fin. Cod. de Neg. gest. Sed salva ejus pace, ego teneo contrarium per prædicta jura, quæ excludunt omne remedium, & alias de nullo servirent: & prædicta lex Si & me & Titium procedit, quando nullum aliud datur remedium; & contrarium expressè tenent Cin. & Sa. lye. in leg. Si quis sciens, Cod. de Rei vind. Si vero bonæ fidei possessor fecit prædicta aedificia, sumptus, vel expensas utiles, & non necessarias, potest repetere his casibus: Primò, si dominus aliàs esset facturus: Secundò, si dominus statim esset rem venditurus: Tertio, si dominus erat dives, & sine detrimento potest solvere: Aliàs non potest repetere, sed tantum abradere sine detrimento prioris status, nisi dominus pretium offerat: text. est notabilis in leg. in fundo. ff. de Rei vindicatione, & ibi Bartol.

(l) Ut tenet Molin. lib. 1. cap. 26. n. 14. Matienz. in leg. 6. tit. 7. lib. 5. Recopil. gloss. 3. n. 4.

valde notabilis in leg. Domo, cum leg. Se, & se. ff. de Legat. 1. & ibi notant & commendant Bart. Alb. Bald. Paul. Imol. Cuman. Alex. Jas. & communiter DD. (m) text. etiam in l. Mulier. §. Sed etiam, vers. Sed & ipse. ff. ad Trebell. text. in leg. Ubi pure, §. fin. eod. tit. Quod singulariter extende, ut isto casu non teneatur compensare tales sumptus & expensas cum fructibus collectis & perceptis ex ea; Glossa est singularis & unica in leg. Emptor. ff. de Rei vindic. in verb. Superfluum, in fin. quam ibi ad hoc notant & commendant Bart. Alb. & communiter DD. & dicit singularem Bald. in cap. Gravis de Restit. spol. 2. col. & reputat singularem & unicam Bald. in leg. In insulam. §. Fructus. ff. Sol. matr. & dicit unicam Paul. in dict. leg. Domo. ff. de Legat. 1. & ibi Moderni, præcipue Jas. (n) Confirmatur etiam, quia fructuarius recuperat à proprietario vel hæredibus ejus expensas necessarias & utiles perpetuo duraturas in re: text. est in leg. Cum ad quem, Cod. de Usufr. & ibi Gloss. ordinaria, & communiter DD. præcipue Paul. de Castr. qui notabiliter loquitur. Item confirmatur, quia colonus vel inquilinus similiter easdem expensas repetit: text. est in leg. Dominus horreorum, §. 1. ff. Locati, text. in l.

Colonus, eodem tit. & ibi communiter DD.

4 Et ex superioribus videtur decisio hujus legis fortissima, iniqua, & contra jus commune: quia possessor majoratus, tamquam simplex & bonæ fidei possessor, vel tamquam dominus rei, qui habet eam subjectam restitutioni, deberet tales sumptus & expensas saltem necessarias & utiles recuperare. (o) Sed ego teneo istam legem pro singulari & juridica, quam confirmo tali ratione: quia in prædictis casibus de jure communi adductis, dominus hæres, vel successor, qui rem à possessore consequitur, petit & recuperat tamquam verus & plenus dominus, apud quem perpetuo res est duratura: secus verò in successore majoratus, qui tantum petit rem ad tempus pro vita sua, & res non est perpetuo penes eum duratura, sed adveniente die, conditione, vel casu restitutionis, tenetur eam alteri successori & ad majoratum vocato restituere: unde merito non tenetur solvere, & esset valde iniquum, quod tam brevi tempore vel momento quo res esset penes eum duratura, teneretur magnos sumptus & expensas solvere: & ista est mea nova, verissima, & fundamentalis ratio hujus legis, in qua credo fundari conditores ejus. (p)

5 Item nota & collige ex ista lege, quod ne-

(m) Ex hac ratione procedit hæc lex in bonis perpetuo anniversario subjectis, in quibus jure majoratus succeditur, ut resolvit Velazq. de Avendañ. hic Gloss. ordinaria n. 12. Corn. lib. 3. Variar. cap. 5. num. 5. Menes. in Rubr. Cod. de Fid. num. 10. Molf. lib. 1. cap. 1. num. 27. Joann. Garc. de Fruct. & expensis, cap. 13. num. 16. Burg. de Paz Junior in quest. 16. Majoratus, num. 43. Mier. in tract. Majorat. in princip. num. 5. & iterum, 1. part. quest. 10. num. 25. in fin. ubi alios referunt.

(n) Et ita tenet Covarrub. lib. 1. Resol. cap. 8. num. 4. in fin. Greg. in leg. 42. glos. magna, post med. tit. 28. part. 3. idque ad majoratus possessorem extendit etiam Grot. in leg. Frater à fratre, 1. 24. ff. de Condit. indebit. Menchac. de Succ. creat. §. 5. num. 13. verb. Reduendo ad fin. Pinel. id singulariter limitans in leg. 2. Cod. de Rescind. 2. part. cap. 4. num. 62. & seq. Molin. lib. 1. de Primog. cap. 26. numer. 4. Similiter & in rebus feudilibus, dominum ad quem feudum revertitur ob defectum generationis, teneri vassalli hæredibus expensas ædificiorum, quæ in re feudali factæ sunt ad perpetuam rei utilitatem, solvere, & æstimationem servitutis in re feudali acquisitæ, quibus retentionem feudi donec meliorationem solvat competere, aut eam meliorationem auferri debere pati, probat text. in cap. 1. §. Si vassallus hic finitur lex, concludi in usibus Feudorum, & ibi notant Isern. Alvarot. Bald. Alexand. traditque latè Matienz. in leg. 6. tit. 7. lib. 5. Recop. gloss. 5. num. 6.

(o) Ut etiam defendit Palac. Rub. in Repetition. Rubric. de Donationib. inter virum, §. 66. num. 15. & sequentibus, cui accedit Cassan. in Consuetudinibus Burgundiæ, rubr. 4. §. 13. numer. 6. vers. Adverte, Gomez. Arias in leg. 44. Taur. num. 18. Covarrub. de Sponsalib. 2. part. cap. 7. §. 1. num. 9. Greg. in leg. 41. tit. 28. part. 3. in gloss. magn. ad fin. & receptam traditionem esse testatur Pinel. in leg. 1. 2. part. num. 71. confirmatamque ex lege regia Portugaliæ lib. 4. tit. 7. §. 3. & tit. 77. §. 33. in fin. & sequentibus, eamque immutatam per legem nostram non esse testatur Matienz. in lib. 6. tit. 7. lib. 5. Recopil. gloss. 3. num. 9. ex mente Gregor. ubi supra. Sed in contrarium extat communis opinio, quam sequuntur omnes relati ad numer. 4. hujus leg. ibi: Tenetur magnos sumptus & expensas solvere.

(p) Hac etiam ratione justificari legem hanc testatur Castell. hic glos. 1. Pinel. in l. 1. 2. part. n. 71. Cod. de Bonis matern. Menchac. de Succes. creat. §. 5. num. ult. verb. Illud autem, Molin. lib. 1. cap. 26. num. 44. Joann. Garc. de Fructibus & Expensis, cap. 13. num. 44. Matienz. in l. 6.

tit.

mo potest in nostro regno etiam in sua propria re facere vel ædificare castrum vel fortalitium sine Principis licentia & autoritate. (q) Pro cujus perfecta intelligentia & declaratione præsuppono & dico, quod quilibet, qui est dominus soli, & areæ, vel suæ rei immobilis, potest in ea ædificare ad libitum suæ voluntatis; quia quidquid est supra solum usque ad cælum, liberum debet esse ejus cujus est solum: textus est capitalis & expressus in leg. Altius. C. de Servitut. & aqua, cujus verba sunt, altius quidem ædificia tollere si domus servitutem non debeat, dominus ejus minimè prohibetur: & ad hoc notant & commendant ibi Odofred. Petr. Cin. Bartol. Alberic. Bald. Paul. Salycet. & communiter DD. textus in leg. Si in ædibus ejusdem tit. textus in leg. Si opus. §. Si jussero, ff. Quod vi, aut clam, textus in leg. fin. §. penultim. eod. tit. textus in leg. final. ff. de Servitut. text. in leg. Dommum. ff. de Regul. jur. textus in leg. 1. Codic. de Ædific. privator. ubi non potest quis ædificare ultra debitam formam inductam in loco vel civitate. (r) Ex quo nota bene, quod per legem, statutum, vel consuetudinem potest induci, ut ultra certam formam & modum ædificia non extollantur: & ad hoc notant & commendant ibi communiter DD. Notat etiam ac commendat Angel. & alii DD. in leg. Qui luminibus. ff. de Servitut. urban. prædior. Cæpol. in tract. de Servitut. urban. prædior. cap. de Servitut. altius non tollendi. 4. & 5. quest. ubi extendit, ut habeat locum in forensibus, quia est onus reale: probat etiam textus in leg. Ex hoc jure. ff. de Justit. & jur. ubi probatur, quod ædificia sunt permisa de jure gentium. Et in tantum est verum, quod dominus fundi vel soli potest ad libitum ædificare, ut procedat etiam si illud ædificium pendeat in maximum damnum & præjudicium alicujus vicini, etiam mo-

nasterii vel loci pii, & obscurantur lumina ejus, vel secreta domus eorum videantur: ita expressè & singulariter tenet Cin. in dict. leg. Altius, qui refert & allegat Petrum ita ibi tenere: cujus lectura in illa leg. & titul. non reperitur; tenet etiam ibi Alberic. in fin. Bald. Salycet. & Paul. de Castr. qui bene loquitur, & est communis opinio: Pro qua facit textus in leg. Cum eodem. ff. de Servitut. urban. prædior. & ibi ad hoc notant Bartol. Alber. Odofred. Bald. Angel. Paul. Floc. & communiter DD. qui dicunt, quod totaliter posset dominus ædificator obscurare lumina vicinorum. Secundò facit textus in leg. Altius. ff. Si servitut. vindic. ubi quis non potest ædificare ita ut obscurantur lumina vicini, si ei debeatur servitus: ergo si res erat libera, bene poterit ædificare. Tertio facit textus in leg. Fluminum. §. final. ff. de Damn. infect. ubi habetur, quod non videtur quis alteri damnum inferre, quando in re sua utitur jure suo. Quarto, magis in expresso facit textus in leg. Proculus, eodem titul. ubi expressè disponitur, quod si dominus altius tollit domum vel ædificium, per quod noceat luminibus vicini, non tenetur, licet præstiterit cautionem, quod ex ædificio illo fiendo damnum non sentiat vicinus: & ad hoc ibi notat & commendat Din. quem refert & sequitur Roman. Paul. de Castr. & communiter DD. Nec huic sententiæ & conclusioni obstat textus notabilis in leg. 2. §. Merito. ff. Ne quid in loco publico, ubi dicitur, quod si quis licitè & justè ædificat in solo publico, debet ædificare sine damno & præjudicio vicini, & non potest ei lumen quod ex publico percipiebat auferre: Quia respondeo, quod debet intelligi, quando in loco publico fit opus vel ædificium ex Principis vel Civitatis licentia, quia tunc intelligitur concessa sine præjudicio tertii: secus verò quando

tit. 7. lib. 5. Recopil. glossa 3. num. 9. Padill. in Rubr. de Fideicom. num. 10. Velazq. de Avendañ. hic glossa 6. num. 5. Nec obstant ea quæ dicta sunt in leg. 40. supra num. 72. ubi conclusi, quod successor majoratus tenetur solvere debita contracta in utilitatem majoratus: Quia intelligitur quando utilitas consistit in aliis rebus de novo acquisitis, vel melioratis; secus verò in fortalicio, vel castro, quod magis videtur consistere in voluntate & affectione, quam in commodo & utilitate pecuniaria, & fructibus & redditibus majoratus: imò ista lex, in quantum specialiter loquitur in isto casu, videtur alios excludere.

(q) Item probat leg. 8. titul. 5. lib. 6. Recop. & leg. 18. titul. 6. lib. 3. Recop. sumpta, ex capit. 22. Prætorum, leg. 32. tit. 18. ubi Greg. in glos. 1. part. 2. Aviles in dict. cap. 22. Prætorum glos. 1. num. Perez in leg. 7. & 8. tit. 7. lib. 4. Ordinament. alias in crimen Læsæ Majestatis incidit, si sine Principis licentia ædificaverit, & intra mensem post ædificium factum Principi non nuntiaverit text. in leg. 1. verb. La Novena, tit. 18. lib. 8. Recopil.

(r) Vide Cæpol. de Servitutibus urbanorum, capit. 39. titul. de Solo, seu area, in princip. & column. 4. versic. Castella autem sey fortalitia, num. 7. cum pluribus aliis quos congerit Matienz. in leg. 6. titul. 7. lib. 5. glossa 5. num. 6. Boer. decisione 320. num. 4. & 8. pluribus modis hanc sententiam limitans.